



1567

1893

o. XVII, 291.

4

ORATIO

DE REVERENDISSIMO
 ET ILLUSTRIS: PRINCI
 pe Georgio Principe in Anhalt & A
 scania &c. à Georgio Maiore Docto
 re Theologiae, recitata in renun
 ciatione publici testimonij
 de Reuerendo uiro Hen
 rico Sthenio Munde
 ro Theologiae
 Doctore.

VITEBERGAE.

ANNO.

1554.



ORATIO

DE REVERENDISSIMO

ET ILLUSTRIS PRINCIPIS

Electoris Palatini Rheni

et Archiepiscopi Electoris

et Imperatoris Palatini

et Archiepiscopi Palatini

et Archiepiscopi Palatini

et Archiepiscopi Palatini

et Archiepiscopi Palatini

VITBERGAE

ANNO

1774

9

I
p
d
n
ur
E
u
q
ig
fi
ag
C
ex
m
de
Ex
sti
tu



ORATIO DE REVEREN
dissimo & Illustrissimo Principe
Georgio Principe in Anhalt
& Ascania &c.

Luceat lux uestra, inquit filius Dei,
coram hominibus, ut glorificetur
pater uester celestis. Vult multos ostend
dere Deus confessionem ueræ doctri
næ, & erudiri & confirmari alios alio
rum testimonijs, sicut ad Petrum dicitur:
Et tu conuersus confirma fratres tuos;
uult etiam conspici Ecclesiam, quæ
quanquam dissimilis est imperijs, ex
igua, arumnosa, orba, sine præsijs,
sine tyrannica potentia, tamen uult eam
agnosci Deus, & cerni non esse agmen
Cyclopum aut Centaurorū, aut Bacchi
exercitum, sed nauim in qua uehitur
multitudo imbecilla discantium ueram
doctrinam de Deo, ut in Psalmo dicitur,
Ex ore infantium et lactentium perfeci
sti laudem, in qua nauī tamen ad cla
uum adsidet filius Dei, Et multi sunt rea

A ij miges

remiges unius uoci omnes obtemperantes, modesti, concordēs, periti, singuli suo loco fideliter facientes officium. Et horum remigum confessus similis est grauiſſimo ſenatu. Quem enim cogitare poſſumus ſenatum pulcriorem, quam fuit horum ſenum confessus, qui eodem tempore non procul à Iordane in oppidis uicinis habitauerunt, & ſepe ad collationem de doctrina conuenerunt, Sem, Abraham, Loth, Isaac, Rex Abimelech.

Omniſibus igitur temporibus circumſpiciant oculi atq; mentes, & conſiderent, ubi & quæ ſit Eccleſia, ubi ſonet incorrupta doctrina & confeſſio, quales ſint doctores, quales adiuncti eis gubernatores, ut piorum uoce & exemplis confirmemur. Maniſteſtum eſt autem Illuſtriſſimum Principem Anhaltinum, qui non ſolum generis nobilitate, Sed etiam eruditione, ſapientia, & omniſibus uirtutibus excellit, grauiſſimo iudicio doctrinam ſonantem in Eccleſia

Ecclesijs nostris amplexum esse, nec
postea abiectissem unquam, tamen pro-
pter confessionem magnis iniurijs &
contumelijs adficietur. Ut igitur &
multi apud exteros & posterum sciant,
qualis uir hic doctrinae testis fuerit, hi-
storiam eius recitabo.

Nec alienum est hoc argumentum
ab hac renuntiatione. Nam & huic ipsi
cui gradus decernitur, & nobis omni-
bus utile est hoc exemplum intueri,
quia semper prodest Ecclesiae historiam
& doctrinae genera considerare, & pi-
orum testimonijs confirmari. Deinde
& presentia Dei in Ecclesia agnoscen-
da est, & gratiae agenda sunt, quod
dat aliquos salutare doctores & guber-
natores, & accendenda est inuocatio ut
deinceps & nobis adsit, & regat docen-
tium & discipulorum pectora. Denique
commonefieri nos prodest, ut suo
quisque loco imitetur huius Principis
diligentiam in inquisitione ueritatis,
in inuocatione, in castitate & omnium
uirtutum officijs.

A iij Propter

Propter has causas scio bonis omni-
nibus & utilem & gratam fore hanc
commemorationem, quæ tamen multa
to erit breuior & tenuior, quam postulat
magnitudo rerum de quibus dic-
endum erat. Sed scitis nulla ullius crea-
turæ oratione satis exponi posse mi-
randa Dei opera, Ecclesiæ gubernati-
onem, doctrinæ amplitudinem, uirtu-
tum decus. Quæ enim eloquentia sa-
pientiam Dei satis illustrare potest?
Qualescunq; breues commonefactio-
nes proponimus, ut ad piam cogitati-
onem rerum maximarum inuitentur
aliqui, & cum celebramus dona Dei in
uiris magnis, Deum ipsum aspici uolu-
mus & eius sapientiam, bonitatem &
presentiam in genere humano cogita-
ri, ut ei gratiæ agantur: Sicut pie & eru-
dite scripsit hic Henricus Sthenius.

Quos ego cum laudo, laus ea tota
Dei est.

Vt autem exteri & posterius sciant
qua

qua in familia natus sit Princeps Anhaltinus Georgius, pauca de uetustate & celebritate familiae modestissime dicam, & non fingam fabulosam originem, sed recitabo quaedam historica nota omnibus qui non sunt ignari Germanicarum historiarum.

Cum Lotharius Saxo, Imperator sapiens & magnanimus exercitum in Italiam mitteret, ad intestinas seditiones opprimendas, & ad expellendos Sarracenos, prefecit exercitui Albertum cognomento Ursum natum in familia Comitum de Ballenstet & Ascania, Scitis autem Ascaniam arcem & oppidum esse non procul ab Halberstadio. Eadem familia et Anhaltina est, ab alia arce quae fuit ampla & magnifica nomen habens. Huius Alberti Ascanij tanta fuit sapientia & uirtus, ut in Italia partim consilio, partim praeliando & domesticos tumultus sedauerit, & Sarracenos represserit. Postea secutus Lotharius

A iiij

tharius

tharius in Italia expulsis Saracenis,
pacem, legibus, iudicijs, & præsidijs
sapienter muniuit. Cum autem tunc
uetus familia Marchionum Branden-
burgensium Electorum extincta esset,
Lotharius Imperator tantum tribuit
uirtuti Alberti Ascanij, ut ei Marchiam
& pulcherrimum ἀξιωμα Electorum
traderet. Nec aliud honorificentius iu-
dicium de Alberto ab Imperatore, cuius
fuit excellens sapientia, fieri potuit
quam quod auxit eius potentiam diti-
one tanta, & ornauit dignitate qua non
alia pulcrior est in genere humano.

Huic Alberto Ascanio filij fuerunt
cum alij, tum & Bernardus qui duxit
exercitum Friderici Barbarossæ in Ita-
lia. Cum autem Henricus Guelfus co-
gnomento superbus, Dux Saxonie &
Bauariæ Imperatorem in Italia seditio-
so consilio deseruisset, & Dux Henri-
cus postea proscrip-tus in Angliam fu-
gisset, in tanto Germaniæ periculo,
prudenti

prudentiam, uirtutem & fidem tantam esse in Bernardo Ascanio Fridericus iudicauit, ut ei & ditionem Saxoniam ad Albim, & Electoris ἀξίωμα tradiderit. Ita attributæ sunt duæ præcipuæ ditio- nes ad Albim, & quarum summa est dignitas & autoritas Ascaniæ & Anhaltinæ familiæ, quas quidem amplius ducentis annis magna cum gloria retinuit, ac posteri Alberti & Bernardi magna uirtute defenderunt hanc Germaniæ oram aduersus Henetos, Boiemos, Polonos, & Tartaros. Aliqui etiam in Syriam duxerunt Friderici secundi exercitus.

Certum est autem continua serie ab Alberto Ascanio, & à Bernardo Duce saxoniam Alberti filio ortos esse Principes Anhaltinos, qui ueterem patriam Dei beneficio adhuc possident. Fuitq; nostra memoria precipue clarus natus in ea familia Rodolfus Anhaltinus qui Imperatoris Maximiliani exercitus in

A v Italia

Italia duxit & sepe foeliciter cum Venetis & Iulij Pontificis copijs dimicauit.

Vetustam nobilitatem & nomen vetustissimæ arcis & familiæ Ascaniæ indicat. Tuisconas enim ab Ascane dictos multorum Scriptorum opinio est, qui vocabuli vicinitate mouentur, ac delector nomine Ascanis, quia videtur a religione indita esse adpellatio illi nepoti Iaphet. Nam Esch Cohen significat sacerdotem ignis. Fuit igitur ille nepos Iaphet custos sacri ignis, uidelicet religionis & doctrinæ. Sed hæc uetera omitto. Extat autem in historijs non solum continua series principum Anhaltinorum seu Ascaniorum, Sed etiam rerum honestissimarum commemoratio quas gesserunt, quam hoc loco recitare nimis longum esset.

In hac nobilissima familia natus est
Patre Principe Ernesto & matre nata
in familia Ducum Munsterbergensi-
um,

um, Princeps Georgius. Erant autem
in parentibus cum aliæ uirtutes, tum ue-
ro studium magnum cognoscendæ do-
ctrinæ de Deo, & uera inuocatio Dei.
Quare & filios ipsi domi ad agnitionem
Dei & ad omnia honesta officia adsue-
fecerunt, et Doctores eis idoneos que-
siuerunt. Erat tunc in inclyta Academia
Liplica Georgius Heltus Forchemius
cuius fuit in formandis ingenijs fides &
fœlicitas eximia, & laudabatur integri-
tas & grauitas in moribus. Hic enim
initio erudit Ioachimum Camerari-
um, Casparum Crucigerum & alios qui
postea propter eruditionem in Ecclesia
& in gubernatione utiliter uitæ com-
muni seruiuerunt. Huic Georgio Forche-
mio commendatus est adolescens Prin-
ceps Georgius Anhaltinus, apud quem
cum natura esset doctrinæ auida & ca-
pax, celeriter Grammaticen, linguam la-
tinā, Dialecticen & Catechesin doctri-
næ Christianæ didicit, & ad exercitia
inuocationis studiose adsuefactus est.
Postea

Postea de consilio grauisissimi
senis Episcopi Mersburgensis Adol-
phi Principis Anhaltini iussus est in
itia doctrinae Iurisconsultorum disce-
re, quo in genere tantam praestitit ad-
fiduitatem, ut fontes recte cognosce-
ret, qua in re adiuuabatur non solum
a doctoribus, sed etiam naturae genero-
sitate, quae amabat ueritatem & erat fu-
gitans cauillationū. Videbat, ut in arte,
exordia, progressiones, & metas, & in-
telligebat ueritatem lucem diuinam
esse, monstratam generi humano ut te-
neatur discrimen inter honesta & tur-
pia, inter bona & mala, & agnoscat
Deus, & sciatur qualis sit, uidelicet sa-
piens, uerax, bonus, iustus, beneficus,
castus, uindex scelerum. Dicebat Deum
uelle nos sibi ipsi adsentiri agnita uerita-
te, praestigias cauillationum & sophis-
matum illudere Deo. Et sepe illud Salo-
monis repetebat. Non decet principem
Labium mendax, Fontes igitur Iuris &
usum

usum querebat ac præcipue Panormita-
num legebat.

In hoc tyrocinio cum annos aliquot
præparasset ingenium, & iam egressus
esset annum uicesimum secundum,
Cardinalis Albertus Elector Mogun-
tinus, & Episcopus Madeburgensis
natus in familia Marchionum Bran-
denburgensium adiungit eum Consili-
arijs in aula, ubi iam non in umbra ut
in Academia, sed in iudicijs & in deli-
berationib. gubernationis usum doctri-
næ Iuris considerauit. Et cum natura fa-
cundus esset, sepe iussit eius uoce Car-
dinalis exponi causas, quæ erant in de-
liberatione aut iudicijs proponendæ.
Ita & industria augebatur, & confirma-
batur iudicium. Iam autem certamina
de doctrina Ecclesiæ mota erant, &
Tecelius qui scurrili impudentia uena-
les indulgentias pontificias circumtule-
rat, & eius satellites Eccius & alij Lu-
therum assiduis scriptis & fulminibus
pontificijs cogebant de fontibus do-
ctrinæ

Erinæ Christianæ multa dicere. Et ex-
tabant iam Lutheri explicationes de
discrimine Legis, & Euangelij, de uera
pœnitentia, de gratia, de Fide, de uera
Inuocatiōe, de usu Sacramentorum, de
discrimine Legum diuinarum & huma-
narum, de discrimine ministerij Euan-
gelici, & politicæ potestatis. Hæc scri-
pta erant in manibus doctorum & in-
doctorum ac studia accendebantur,
quia supersticiosi canones diu fuerant
conscientiarum carnificina, & pontifi-
ces & Monachi regno suo immoderate
abusi fuerant. Desiderabatur etiam The-
ologia pura & perspicua, quia labyrinthi
Scotistarum et similium erant inextrica-
biles. Multi igitur docti & piij adfentie-
bantur Luthero, & gratulabantur Ec-
clesiæ illucescentem ueritatem, alij pro-
phani letabantur laxatione uinculorum
quorundam, ut fieri solet.

Etsi autem legebat & Princeps Ge-
orgius hæc scripta, quia Deum recte
colere

colere cupiebat, & multis pñs sententijs
adsentiebatur, tamen quia uerebatur ne
ætatís infirmitate alicubi laberetur, non
statim de toto genere doctrinæ pro-
nunciauit. Interea uero simul ardentibus
ac assiduis uotis à Deo petiuit, fle-
cti pectus suum ad ueritatem, ac lacry-
mans sepe hæc uerba repetiuit, Fac cum
seruo tuo secundum misericordiam tu-
am & iustificationes tuas doce me, &
studiose legit scripta Prophetica & A-
postolica, & his adiunxit historiã uete-
ris Ecclesiæ, scripta Augustini, Hiero-
nymi & Petri Longobardi, ac laboris
huius hortatorem & socium habebat
Georgium Forchemium. Et quia fon-
tes in scriptis Prophetiis & Apostoli-
cis cognoscere cupiebat, addidit linguæ
Græcæ & Ebreæ studium, tantumq; in
Ebreæ profecit, ut par esset in ea doctis
interpretibus. Sepe etiam de omnibus
controuersijs cum eruditis & sapientia-
bus differebat.

Tandem igitur diu cogitatis omnia
um

um sententijs cum indicaret Ecclesiarum nostrarum confessionem, consensum esse ueteris Ecclesiae Catholicae Dei traditum in scriptis Prophetiis & Apostolicis, etsi odia & pericula prospiciebat, tamen ostendit palam se amplecti nostrarum Ecclesiarum confessionem, & ab aduersariorum consilijs & sacrificijs discessit, seque totum dedit precatiōni, & lectiōni, & fratres optimos Principes, cum quibus in tota uita sic uixit, ut ulla res unquam eorum concordiam labefactauerit, in laboribus gubernationis sedulo adiuuit. Ac primum communi consilio cum fratribus instaurauit Ecclesias in patria, praefecit idoneos pastores, iussit recte doceri populum, aboleuit ritus uiciosos, constituit Scholas, attribuit stipendia. Ita facta est emendatio sine dissensionibus & sine ullo tumultu. Et iudicijs ac exemplis piorum Principum multi ad agnitionem ueritatis inuitati sunt, multi confirmati. Postea & in alijs partibus gubernationis

gubernationis fideliter & utiliter patriæ
seruiuit.

Deinde uocatus ad Ecclesias regen-
das in Mersburgensi diocesi, ibi quoq;
recte doceri populum curauit, & præ-
fuit Ecclesijs uniuersæ regionis Myso-
rum, fuitq; hic ei uitæ cursus annos fere
uiginti donec ex hac mortali uita ad ce-
lestis Ecclesiæ societatem uocatus est,
uixit caste in uita celibe sine ulla conta-
minatione, cubiculum eius erat tem-
plum, academia, & curia. Nam ibi
hæc fiebant quotidie, precatio, lectio
scriptio, & deliberationes de governa-
tione. Ac ut Esdras, utraq; in re patriæ
profuit, docuit & confirmauit multos
concionibus & editis scriptis & rexit
consilia gubernationis. Neminem sci-
ens unquam lesit, benefecit priuatim
& publice multis, fuit suasor pacis inter
principes, multorum diremit contro-
uersias, abhorruit ab omnibus sediciosis,
turbulentis, Alcibiadeis consilijs, ab am-
bicione alienissimus fuit. Nunquam ira,

B

uel

uel odium, uel uindictæ cupiditas eum
impulit, ut contra iusticiam faceret, aut
tranquillitatem communem turbaret,
Iniurias etiam multas & magnas excel-
so animo condonauit tranquillitati pub-
licæ, dolores etiam alios ea animi mo-
deratione tulit, ut satis intelligi posset
eum sustentari inuocatione Dei & ac-
quiescere in Deo. Norat ut uir doctus
discrimina consolationum humanarum,
& diuinarum, & sepe hæc dicta repetebat.
Subditus esto Deo & ora eum. Pro-
pe est Dominus his qui tribulato sunt
corde, & humiles spiritu saluabit.

Studia, dolores, assiduitas in gu-
bernatione, precatio abducebant eum
ab omnibus voluptatibus corporis. Ac
post consolationes quas ei cogitatio di-
uinarum promissionum, & inuocatio
adferebant, dicebat se non habere aliam
leuationem mœsticiæ, nisi colloquia o-
ptimorum fratrum, & aliorum hones-
torum ac doctorum uirorum, ac delectabatur

Et abatur hoc uersu,

ἢ δ' ὡς εἴλου λόγος ὅτι τοῖς λυποῦμενοις:

De Forensibus controuersijs disse-
rebat cum uiris clarissimis Iurisconsul-
tis, sapientia & uirtute prestantibus, Hi-
eronymo Schurfio & Ludouico Fach-
sio, De corporis humani natura, de mor-
borum causis, & remedijs, cum peritiss-
simis Medicis, Sebastiano Aurbachio,
Augustino Schurfio, & Iacobo Miliz-
chio.

De doctrina Ecclesiae cum Luthero,
Iona, & Iohanne Bugenhagio Pomeran-
no, ac multas eorum disputationes ple-
nas eruditionis & pietatis meminimus.
Ad sedimus cum interrogaret Lutherū,
quomodo inuocatio in Ecclesia discer-
nenda sit ab Ethnica inuocatione, cum
& Ethnici non furiosi cogitarint unam
esse mentem architectatricem mundi?
Ibi Lutherus respondit, Semper in In-
uocatione cogitandum esse, quid allo-
quamur, & seiungendam esse nostram

B ij inuo-

inuocationem ab Ethnica, ac præcipua
esse duo discrimina, alterum de Essentia
Dei, alterum de voluntate, ac de utroq;
discrimine, mente intuendas esse pate-
factiones diuinas in baptismo filij & ali-
as, ac promissiones diuinitus traditas.
Hanc ipsam ob causam prodijisse Deum
ex arcana sede, ut in his patefactionibus
agnoscatur & à cōmendicijs numinibus
procul seiungatur. Ac in cogitatione
Essentiæ hunc Deū, qui Pater est æter-
nus domini nostri Iesu Christi, & cum
Filio & Spiritu sancto omnia condi-
dit, & promissionem recōciliationis tra-
didit, eamq; sanguine & resurrectione
Filij ob signauit, compellandum esse, Si-
cut inquit Christus. Qui me uidet, uidet
Patrem. De voluntate etiam cogitari
oportere Mediatorem & promissiones.
Huic ueræ inuocationi dissimilima est
Ethnica seu Turcica, quæ negat hunc
uere Deum conditorem rerum esse, qui
est Pater domini nostri Iesu Christi. Et
ignorat Mediatorem & promissiones,
Sed

Sed dubitat, an & cur nos indignos De-
us exaudiat. Taxabat & doctrinā Mo-
nachorum, quæ iubet adferre dubitatio-
nem ad Deum, Sicut adferunt Ethnici.
Iubebat sepe recitare, & semper in Inuo-
catione cogitare promissiones, quia ea-
rum cogitatione fides accendenda sit,
& damnabat Enthusiastarū furores, qui
abducunt homines à cogitatione scripte
promissionis, dicebat autem hanc do-
ctrinam quotidie in ardenti inuocatio-
ne exercendam esse.

Hic cum rursus interrogaret Asca-
nius de discrimine Personarum, cur Fi-
lius λόγος nominetur, tertia Persona
Spiritus, grauiter ingemiscens Luthe-
rus deplorare calamitates Ecclesiæ ce-
pit, ueteres controuersias repetiuit, &
execratus est diabolicos furores Samo-
sateni, Arii, & similium ex quib. orta est
deinde blasphemia Mahometica, De-
inde & querelam addidit de negligenti-
a Scriptorum recentium, in quorum

B iij

disputa-

disputationibus uere hoc accidit, ut plura sint παράρρητα quam ἔργα. Est inquit filius integra imago æterni Patris καὶ ὑφιστάμενος. λόγος autem dicitur nō solum quia Patris sese intuentis cogitatione genitus est, Sed etiam quia per eum decretum de toto ordine creationis & restitutionis humani generis dictum est, Hic est Angelus magni consilij, proferens admirandum & arcanum decretum de humana salute ex sinu æterni Patris, sonat vocem Euangelij ad Adam & Heuam, seruat nunc quoq; ministerium Euangelij, & uoce Euangelij dicit consolationem in cordibus, monstrat Patrem, reddit nobis uitam, & dat Spiritū sanctum, qui in cordibus læticiam, inuocationem, & accendit alios tales motus, qualis est ipse, unde & Spiritus appellatio est, quia tertia Persona sic nobis patefacta est, quod diuinos motus in corde accendit.

In hanc commemorationem ingressus Lutherus multa dicta enarrabat,

τὴν

τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Et in Salo-
mone de sapientia, Fui cum eo artifex,
ludens in orbe terræ suæ, & delectatio-
nes meæ cum filiis hominū. Quid dul-
cius est inquit, hac sententiā, de filio .n.
dicitur in quo fulget idea opificij mun-
di, & qui se patefecit generi humano
edita uoce, ludit mirandis operibus in
creatione & in colligenda Ecclesia.
Quale enim spectaculum est hominis
formatio, Qualia spectacula sunt ad-
sumptio naturæ humanæ, liberatio No-
hæ in diluuiō, populi in Aegypto, Re-
surrectiones mortuorum, & alia miran-
da facta? Iam hoc dulcissimum est, qd
ait se hominum consuetudine delectari,
Nobiscum adest, colligit & seruat Ec-
clesiam uoce Euangelij.

Talia erant argumenta familiari-
um sermonum quoties hi uiri conueni-
ebant, quorum erat Ascanius tanquam
ἀγωνοθέτης, nec erat κωφὸν πρόσωπον, Sed
suum iudicium erudite de controuersijs

B iiij & de

& de enarrationibus addebat, miscebat
& pia uota, ac Deo gratias agebat cum
pro alijs beneficijs, tum etiam pro hoc
ingenti munere, quod depulsis tenebris
Papisticis, quæ sunt Ethnicarum similes,
reddidit nobis Euangelij lucem.

Ionæ uiro erudito in doctrina Ec-
clesiæ & in Iure dixerat, Videri sibi ταυ-
τολογία esse in latina interpretatione in-
concinnam & obscuram, in prima Epi-
stola Iohannis in capite 3. Peccatum est
iniquitas. Respondit Ionas interpretis
negligentia eruditissimam definitionem
obscuratam esse. Vt enim priuationes
definiuntur collatione, ut cum dicimus
tenebras esse priuationem lucis, ita Io-
hannem rectissime definire peccatum
esse, quidquid est contrarium Legi,
ἢ ἁμαρτία ἔστιν ἄνομία. Norma est Iustit-
ciæ, Lex Dei, quæ est Sapientia in Deo
æterna & immota, cuius radij transfusi
sunt in rationales creaturas, & quæ in
promulgatione Decalogi repetita est.

Contraria

Contraria huic normæ & sapientiæ suæ
Deus damnat & peccata nominat, ac
propter ea fontibus irascitur & eos de-
struit. Ac adparet Iohannem motū esse
licentia eorum, qui ex Gentibus ad Ec-
clesiam conuersi erant, quibus osten-
denda fuit norma unde iudicarent, quæ
mala sint à Deo damnata, deducit igitur
nos ad Legem, quam recte uult intel-
ligi.

Delectabatur & similitudine quam
recitabat D. Pomeranus. Vt annulus
magno æstimatur & amatur propter
gemmam, Adamantem, aut Smarag-
dum, non propter aurum, Sic dicitur,
Fide iustificari homines propter gem-
mam, filium Dei, Hanc autē gemmam
fide amplectimur.

Cum Ioachimo Camerario differe-
bat de omnium ætatum historijs, de Im-
periorum mutationibus & periodis, &
earum causis, de motibus cœlestibus, &
de siderum effectione. Multa & de

B v phrasi

phraſi in libris Apoſtolicis ſciſcitabatur.
Ac ut aiunt Platonem ſic amaſſe γινώματα
λογικόν ſcriptū cui titulus fuit Sophron,
ut ſub culcitram collocarit, ut in lectio
etiā ad manum eſſet, Sic Aſcanius ama-
mabat Salomonem & Siraciden, & ſe-
pe dicebat gnomas eſſe eximiū ἐφοδίων
in uita, & utiles commonefactiones in
multis deliberationibus. Quia uero Si-
racidæ lectio paſſim corrupta eſt, fuit
hortator Ioachimo, ut ederet emenda-
tam. Sepe & de ſententijs obſcuris cum
eo diſputabat, ut cum in capite quadra-
geſimo primo dicitur, φνλαξομ ἀπὸ σκο-
ρακις μὲ λήψεως καὶ δόσεως, ænigmata in-
quit lego, & petebat enarrationem. Hic
Ioachimus ait factum eſſe uerbum ab
adagio ἐς κόρακας. & iubere cauendam
eſſe expulſionem ſeu deletionem dati
& accepti, id eſt, iuſtæ compensationis
in contractibus, & in referenda gratia.
Velle Deum hanc compensationem nō
aboleri, quæ & ordo eſt ſapientiæ & iu-
ſticiæ in Deo, & neruus humanæ con-
ſociatiæ

fociationis, & significat Deo nos gratitudinem debere. Etsi alij alias interpretationes querebant, tamen Ascanius amans iusticiam & gratitudinem, hanc Ioachimi interpretationem anteferebat.

Sed omitto longiorem narrationem talium colloquiorum. Extant .n. ipsius scripta, quæ & eruditionem ipsius & confessionem ostendunt, quæ cum cõmuni Ecclesiarum Saxonicarum confessione congruit, quam pio & grauissimo iudicio amplexus nunquam ab ea discessit, & fanaticis dogmatibus pugnantibus cum ea cõfessione acerrime aduersatus est.

Laudanda est & hæc eius prudentia & diligentia, qd genere sermonis proprio & perspicuo usus est, ne ambiguitas, ut sepe fit, gigneret diuersas opiniones & dissidia. Erat autem constantia uitæ & morum talis, ut uere de eo dici possit, quod de integerrimo Imperatore Marco Antonino scripsit Dion,

ὁμοιοσ

ὁμοίως διὰ πάντων ἐγένετο καὶ ἐν οὐδενὶ ἡλ-
λοιώθη, ἀγαθὸς δὲ ἦν ἐν οὐδενὶ προωόητορ εἰς
χειρ. Hæc quanta bona sint & in Princi-
pibus & priuatis hominibus omnes sani
intelligunt.

Postremus etiam actus uitæ Princi-
pis Georgij pietatem eius & Dei præ-
sentiam in eo ostendit. Cum toto seme-
stri conflictaretur cum morbo mole-
stissimo, tamen quotidie pijs precibus
se, Ecclesiam, optimum fratrem, & ces-
teros Principes Anhaltinos, Patriam &
Germaniam Deo cōmendauit, deinde
lectionem audiebat ex Prophetiis &
Apostolicis libris, quantum potuit eti-
am consilia gubernationis adhuc rexit.
Testamentum pie condidit, in quo &
confessionem suam repetiuit, & Eccle-
siarum defensionem fratri cōmendauit.
Addidit etiam singulis Pastoribus Ec-
clesiarum suæ ditionis ad annuos redi-
tus, frumenti Medimnos duodenos.
Tandem uero languefactā naturam su-
perante morbo mense Octobri, anima
eius ex hac mortali uita ad cœlestis Ec-
clesiæ

clesiæ societatem euocata est, cum quidam sese uiuens quotidie filio Dei commendasset, & assidue cõmemorasset diuinas promissiones. Sic Deus dilexit mundum, ut filium unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum, nõ pereat. Item, Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Item, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, Ego reficiam uos, & tantum animi robur fuit, ut satis adpareret in eo lucere fidem ac fiduciam filij Dei diuinitus accensam, quotidie .n. cum fratre & alijs de beneficijs filij Dei, de spe uitæ æternæ, de miranda collectione Ecclesiæ ex genere humano dulcissime collocutus est.

Etsi autem orbitas fratris, Ecclesiæ, Patriæ, nostra, dolorem nobis adfert, tamen ipsi quidem Principi Georgio migratio ad consuetudinem cœlestis Ecclesiæ gratulanda est, & retinenda est memoria confessionis & uirtutum ipsius, Primum ut Deo gratias agamus de donis, quæ ipsi & per eum alijs tribuit. Verum est enim hanc in eo lucem ueritatis, & flamme

& flammam amoris erga Deum, & ceteras
uirtutes dona Dei esse, transfusa in
eum, ut & ipsi & alijs salutaria essent, Et
in hac gratiarum actione consideremus
duo hominum genera. Vasa iræ & uasa
misericordiæ, ut Paulus nominat. Quid
tristius est quam esse pestem generis hu-
mani seu ἀλάστορα, ut fuerunt Alcibia-
des, Catilina, Nero & similes. Rursus
quantum bonum est esse organum Deo
placens, & utile Ecclesiæ, ut fuerunt Io-
seph, Samuel, Ezechias & alij, quib. &
Principem Georgium annumeramus,
in quo præsentia Dei, tum in ipsius con-
fessione & uirtutibus, tum uero in gub-
ernatione conspecta est, quam Deus
sic adiuuit, ut Patria tranquilla fuerit tot
iam annos, quib. Vicinia bellis undiq;
arsit. Hæc Dei beneficia agnoscenda
sunt & gratis mentibus celebranda, de-
inde singuli ardentibus uotis petamus,
ut filius Dei nos sibi palmites faciat, sicut
inquit, Ego sum uitis, uos palmites, ac
faciat nos organa misericordiæ, guber-
net cōsilia & labores nostros, ut profint
Ecclesiæ. Deinde

Deinde & cōfessione Principis Ge-
orgij cōfirmemur, & exemplis eius ex-
citemur ad inuocationem Dei, & ad di-
ligentiam retinendi dona diuina. Nam
et fatendum est ipsius uirtutes esse dona
Dei, & simul consideranda est eius dili-
gentia, q̄d ea assidua inuocatione peti-
uit, & cauit, ne petulanter effunderet,
habenti .n. dabitur, ut inquit filius Dei,
qui quidē uult nos intuentes in talia ex-
empla scire se equalem esse, et nobis q̄q̄
petentib. opitulaturum esse. Sicut Psal-
mus docet accendendam esse inuocati-
onem talium exemplorū consideratiōe,
cum inquit, Accedite ad eum, & accur-
rite. Iste pauper clamauit & Dominus
exaudiuit eum. Intuentes igitur Princi-
pis Georgij cursum & grati Deum cele-
bremus, & petamus nos quoq̄ gu-
bernari, & studia, sedulitatem,
et diligentiam eius in reti-
nendis Dei donis pie
imitemur,
DIXI.

À fol. 8. facie 2. linea. i 2. lege,
sic uixit, ut nulla res unquam &c.

9
193469

ULB Halle 3
004 396 014



Sp.

MC







ORATIO
 REVERENDISSIMO
 ILLVSTRIS: PRINCE
 Georgio Principe in Anhalt & A
 nia &c. à Georgio Maiore Docto
 re Theologiæ, recitata in renun
 ciatione publici testimoni
 de Reverendo uiro Hen
 rico Sthenio Munde
 ro Theologiæ
 Doctore.

VITEBERGAE.

ANNO.

1554.



4

